





AD  
L. v n. S. vlt. II. de Off. <sup>LII.</sup>  
1772 13 10<sup>o</sup>

Q V A E D A M C O M M E N T A T U R

S I M V L Q V E

L E C T I O N E S S V A S

P E R

S E M E S T R E H I B E R N U M H A B E N D A S

I N D I C I T

L V D O V I G V S G O D O F R E D V S M A D I H N

I V R I V M D O C T O R.



---

H A L A E

S T A N N O H E N D E L I A N O.

q. A

2014年1月1日-2014年1月31日

TRADUCCIONES GODORRIBAS MADRID

З О Т О О С А      К У Т Я В И

ZAJAH

○ 萬葉集 卷之三  
○ 有 樹 有 樹 有 樹 有 樹 有 樹 有 樹 有 樹 有 樹



§. I.

*Instituti ratio et ordo exponitur.*

**H**oc adhuc in officio meo positum videtur, ut vos, ILLVSTRISSIMI, GENEROSISSIMI atque NOBILISSIMI COMMILITONES, ad acroates meas humanissime inuitarem. Has officii mei partes, quas nunc expleo lubenter, iam antea expleuisse nisi tunc temporis itinere quodam ex dulci pietatis officio suscipiendo impeditus fuisset. De the-  
mate eligendo cogitanti, hoc fese prae cacteris \*) mihi proba-  
uit,

- \* ) Certe non desuerant alia nec minus elegancia, neque minus fortasse com-  
mendationis adferentia. Ut quaedam tantum commemorem agere con-  
stitui, 1) de vera distinctione magistratum Romanorum in maiores  
et minores, 2) de vicissitudinibus Praefectorum Praetorio in supple-  
mentum RITTERIANI libelli, 3) de consistorio, comitibusque con-  
sistorianis Imperatorum Romanorum atque tandem 4) praefertim in  
animo fuit quendam ex ICtis antiquioribus defunere cuius vi-  
tam nemo adhuc descripserit, cuiusque fragmenta quae nobis in  
Digestis seruata sunt, nemo illustratus sit. Elegissim aut Licinium  
Rufinum aut Terenten Clementem aut Terrallianum aut denique  
alium: iamque laborem quam incepturnus essem, hoc consilium plane

*de non sed A proposito bim. invenimus in*

uit, quod iam alia occasione a me elaboratum fuit, quodque eo magis ad hanc rem aptum videbatur, quo magis inde constare posse, utrum rectam atque genuinam in explicandis ipsius Iuris Romani legibus elegerim rationem, quod summum, qui alias docere gestit, officium videtur. Legem vero, quam interpretabor, sic exhibet Taurelliana

*L. vn. f. vlt. π de Off. Conf.*

*VLPIANVS lib. 2. de offic. Conf.*

*Consules apud se seruos suis manumittere posse nulla dubitatio est. Sed si euenerit, ut minor viginti annis consul sit, apud se manumittere non poterit: quum ipse sit qui ex Senatusconsulto consilii caussam examinat, apud collegam vero caussa probata, potest.*

Primum omnium interpretis officium est, ut orationem quam explicare conatur, grammaticae explicit, deinde ad dialecticam interpretationem progrederiatur. Ad grammaticam vero requiritur vt

ve-

in aliud tempus deiiciendum fuit, orbatus nunc libris rarissimis, quos secum duxit amantissimus animo meo carissimus Frater, cuius sane discessum luget adhuc recens animus noster et semper lugebit, lugent et lugebunt omnes boni, omnes qui solidiori Iurisprudentiae addiscendae operam in hac Academica nauaturi sunt. Iis vero nobis ideo opus fuit, quoniam operam Maiansii et Brenckmannii coniungere statuimus. Ille quidem in perquam eximio *Commentario ad Triginta ICtorum fragmenta eleganter eadem illustratus est*, hic autem in rarissimo illo libello *Alfeni Vari ICti fragmenta* non solum secundum veterem ordinem restituit, sed etiam copiosissime varietatem lectionis ex omnibus fere bona notae editionibus addidit, quo laudabiliter prorsus atque eleganti instituto Maiansius, destitutus forsitan libris illis, non vñus est. Neque solum ob hanc rem Brenckmanni libellus apud omnes se se commendauit, sed et in primis ab sciographiam illam quam fragmentis ICti ipsius, praenixit, quaeque praeclarum Incomparabilis Viri mortem eo tristorem nobis reddidit. Ex hac enim videre est, quid in promisso atque ab omnibus audie expeditato libro Hermeneutico praestititus fuisset in hac re ὥπλῳ Brenckmannus. Hunc ego librum dixi atque dico rarum quidquid dicant alii, qui eundem Historiae Pandectarum adiectum esse mentiuntur. Quid Dū immortates, est mentiri quid calunniare si hoc non est.

1) veram verborum vim ac potestate declareret *interpres* 2) orationis integritatem restituat, ac 3) orationis ambiguitati et obscuritati lucem adfundat. Eadem et nos obseruabimus *interpretis* nunc partes sustinentes.

### §. II.

1. *Grammatice explicat interpres et a) seruum verborum eruit atque declarat.*

Sed quod ad primum adtrinet momentum duo tantum explicanda erunt; scilicet quid sibi velit istud *confilii causa* et *causam probare*. Consilium vero h. l. non denotat nisi illud iudicium in quo causae manumissionum post sanctionem Legis Aeliae Sentiae examinanda erant. Inter cetera, teste THEOPHILO Lib. I. T. VI. p 69 edit. Reitz. Lege Aelia Sentia cautum erat, ne minores viginti, annis seruos manumitterent, nisi 1) iusta de causa apud magistratum in consilio probata 2) haec manumissio fieret iuri per vindictam expediendo. Hoc consilium igitur in quo causae manumissionum examinari atque probari debebant omnium optime ac copiose ita describit THEOPHILVS L. I. T. VI. §. 4. *Consilium est consensus certorum virorum, statu anni tempore conueniens. Habeatur autem, pergit quidem ille, hoc consilium non solum Romae sed etiam in prouincia. Romani enim integrum fere annum bellando transigentes ad quoddam tempus ab hieme atque eius incommodis prohibiti (si quidem in Republica versantes extra litiges vivere non poterant) omissois armis litibus vacabant, multosque ad hoc iudices constituebant, qui suas controvierstas dirimerent, quique Recuperatores vocabantur; quia per eos unusquisque debitum recuperabat. Tempus autem hoc dicebatur conuentus, quia eodem conueniebant et iudices et litigantes; possummo autem conuentus die habebatur consilium in prouinciis in hunc modum. Procedebat Praefes et in suo confidebat tribunali, et cum eo viginti viri, qui dicebantur peregrini Recuperatores, quia per eos mancipium naturalem libertatem recipiebat – atque apud hos dicebantur iustae causae a manumittentibus. Habeatur autem et Romae consilium uno conuentus die, Praetore in suo tribunal sedente eique adsidentibus quinque senatoribus et quinque Equitibus Romanis. – Haec ita Theophilus. Aberraremus*

A 2

sane

sane a via longius quam institutum nostrum permittit, si omnia ea adnotare vellemus quae tam Viri docti adnotarunt, quam quae adhuc adnotari possent. Illud tamen adiiciendum ducimus, quod elegantissimus Institutionum Iustinearum interpres FRANCISCVS BROEVS *Expositus Inst. Iust.*<sup>\*)</sup> optime monuit pag. 69. in prouinciis habitum fuisse consilium coram Proconsule aut in genere coram Praefide prouinciae exhibitis viginti ciuibus Romanis, et Romas quidem certis statisque diebus, quemadmodum postulationum fuissent certi dies, ita quoque hic exhiberetur aut praeberetur consilium: et Praefides aut Proconsules statos dies non habuisse, sed forum agere volentes conuentum indixisse. — Consilium igitur vel Romae habebatur vel in prouinciis. Priori in casu certo statoque conuentus die habebatur apud Praetorem illique adfidentes Recuperatores, quinque Senatores puta et quinque Equites. Posteriori vero coram Praefide Prouinciarum atque viginti ciuibus Romanis peregrini Recuperatores dictis, non tamen certo statoque die. Apud hoc consilium, ut et alterum explicemus, ex L. Aelia Sentiae sanctione examinabantur et probabantur caussae manumissionum, adeo ut si minor viginti annis manumissurus iustum veramque manumissionis causam probaret manumittendi facultas illi concederetur. Quae vero iustae fuerint manumissionis causae, omnium luculentissime indicat Imperator §. 5. quib. ex caus. manum. n. lic. vbi: *Iustae autem manumissionis caussae hae sunt: veluti si quis patrem aut matrem, filium filiamque aut fratrem sororemque naturalem* (sic in omnibus Codd. msrr. legi notat CHARONDAS) *aut praedagogum, aut nutricem aut educatorem aut alumnum alumnamque, aut collactaneum manumittat: aut seruum procuratoris habendi gratia, aut ancillam matrimonii caussa.* —

### §. III.

#### b) *Orationis integratatem contra aliorum emendationes vindicat.*

Hisce igitur praepositis ad id accedimus, quod secundum grammatici interpretis officium diximus, scil. ut ad integratatem textus

<sup>\*)</sup> Cuius rarissimi libri nunc nouam Editionem ob ceteras utilitates, quibus ornabitur, maxime commendabilem, ex delatione Suauissimi Fratris paramus in officina Curtiana.

5

textus respiciat, siue illum emendet, siue receptam lectionem contra aliorum impugnaciones defendat. Hoc loco posterius nobis curae cordique erit. Si qua enim vnuquam lex sub incude criticorum sudauerit variasque emendationes experta sit; certe haec fuit. Nam verba: *quum ipse sit, qui ex SCto consiliī caussam examinat*, adeo Interpretū ingenia vexarunt, ut quisque fere pro ingenio suo emendare ea studuerit, dum corrupta esse ad vnum omnes arbitrati sunt, sed vnde et quomodo iis medendum sit inter illos non constat: eaque pugna eo atrocior fuit, quoniam ex editionibus, quas, quum integratatem lectionis respiciant, criticas ideo vocamus, nullum emendationis praesidium sumendum erat. Omnes enim quoquot exstant Pandectarum editiones quibus ius suffragii in hac re competit, seruarunt Taurellianam lectionēm. Suo igitur quisque ingenio relictus sibi videbatur, indeque evenit vt eas Criticorum manus easque vicissitudines experia sit, quas nunc et enumerare et refutare nostrum desiderare videtur officium. Offenderunt autem verba: *quum ipse sit qui ex SCto consiliī caussam examinat* partim ideo, quia probitio ne minor viginti annis nisi iusta ex causa apud consilium probata manumitteret seruos, neque adeo consiliī origo non SCto cuidam sed potius Legi Aeliae Sentiae debeatur, partim vero quod *consiliī causa* impropria locutio iis videretur. Emendationes vero quas tentarunt Viri docti duplices sunt generis. Vel enim ex conjectura a siglis petita emendationem desumferunt vel non.

#### §. IV.

α) *De emendationibus eorum qui ope siglarum integratati lectionis consulere voluerunt.*

Et primus quidem omnium, a quo semper initium faciendum, summus CVIACIVS verba haec, *quum ipse sit qui ex SCto consiliī caussam examinat*, reiicienda esse putauit, restituitque *ex sententia constitutionis*, quasi olim per siglas scriptum esset *ex S. C.* indeque perperam a Compilationibus Digestorum effictum esse ait, *re ex SCto consiliī, quum tamen sigla S. C. nihil aliud significassent quam sententiam constitutionis scil. Aeliae Sentiae.*

A 3

Hanc

Hanc autem Cuiacii esse sententiam contra aliorum fictiones, qui Cuiacium *ex lege* restituisse perhibent luculenter ostendit H E R M . NOORDKERK in Obseruatt. p. 6.

Eodem siglarum artificio FR. HOTOMANNVS Lib. VII. Obseruatt. cap. vlt loco r̄g ex SCto restaurauit, ex *sententia confilii*. Quis non videt Hotomanni crisi propter maiorem facilitatem breuitatemque longe praferendam esse Cuiaciannae opinioni. Attamen nec Hotomanni nec Cuiacii ingeniosas alioquin emendationes sequi possumus. Criles enim a figlis defumtae quam maxime sunt fallaces neque prius locum iis concedere possumus nisi maxima vrgente necessitate. Quum enim constet Tribonianum eiusque adiutores figlis propter prohibitionem Iustiniani numquam vsos esse, ceu fatis superque indicat venerandum Exemplar, quod Florentiae adseruat, in quo teste BRENNCKMANNO Hist. Pand. Lib. II. cap. 3. nullae obueniunt siglae, caute admodum versari debemus in restituenda legis lectione ope siglarum, dum hoc nihil aliud est, quam quod Compilatores Praelectarum tunc aliquid humani passi fuerint, neque recte siglas intellexerint. Quare etiam recte Viri egregiae eruditionis, WIELINGIVS NOORDKERKIYS BESTIVS certas posuerunt regulas, quas videre licet apud ECKHARDIVM in Hermeneut. Iur. p. 40. secundum quas emendationes ope siglarum tenatae examinandae sunt. Hotomanni vero et Cuiacii crises repugnant principali harum regularum, nempe quod non certo constet hasce siglas in vſu olim fuisse idemque significasse quod interpres contendit. Quid enim magis et improbabile est et veritati repugnat, quam siglam S. C. positam esse ad indicandam sententiam constitutionis; aut sententiam confilii. Praeterea in Cuiacii emendatione hoc adhuc adueritus incommodi, quod si vera haec esset, ex vno C. duplex Confessores Digestorum finxit sensus verbum scil *consulto confilii*, eiusmodi autem ignorantiae non facile aequis rerum arbiter hos Viros accusabit: ne dicam de ceteris, quae de omnibus horum verborum emendationibus postremo loco adferam.

§. V.

## §. V.

β) Posterioris generis emendationes recenset quidque sibi de illis videtur adicere.

Hil erant qui siglarum remedio verba restaurare voluerint; sequuntur deinceps interpres posterioris generis. IAC. RAEVARDVS in libro *Protribunalium cap. 13* tese possidere ait exemplar manuscriptum in quo scriptum legeretur: *quam ipse sit qui ex se ce consilio caussam examinat*, indeque haec verba ita mutat: *quam ipse sit qui ex se cum consilio caussam examinat*. Sed praeterquam quod librarii, (nam non vnum fuisse BRENCMANNVS nobis persuasit) qui Codicem Pisaniū, immo et ii qui alias descripsierunt admodum stupidi fuerint necesse sit, quod ex se ce efficerint SCto, hac ratione etiam integritas Florentini aliorumque optimae notiae Codicum impugnaretur propter exemplar quoddam cuius aetatem nescimus, qui contra, ut probabis fert opinio, aut Florentinum aut aliud codicem manu exaratum patrem habet. Quamuis enim nobis non ea est sententia ut cum ANT. AVGUSTINO, TAVRELLIO, BRECKNANNO et nuperrime cum GVADAGNI statui posse arbitremur, omnia Pandectarum quotquot exflare exemplaria dimanasse e Pisano, illud tamen extra omne dubium positum viderur, nullum codicem manu descriptum hodie superesse qui aetatem Florentini aut Iuonis Carnutensis superaret. Attamen ut fieri solet, haec Raeuardi improbabilis sane crisi ansam dedit NOORDKERKIO ut in *Olserviatt. p. 18.* legere malit, *quam ipse sit qui ex SCto cum consilio caussam examinat*, quasi scriptum esset consilio. Multis enim exemplis Vir egregius ostendit saepissime vocem *cum ex*-cidisse et formulam hanc non raro in aliis etiam scriptoribus obuenire. Sed et haec non ad rider emendatio. Sit ita, prae-positionem *cum* aliquando omissem esse, num inde statim sequitur et hoc loco excidisse, num in formula hac solemini fere? Accedit quod tunc pro *consilio* positum esset τὸ consilii.

## §. VI.

γ) De interpretationibus sine emendatione verborum tentatis.

Fuerunt hi qui verba nostrae §. emendare tentarunt. Iam eos interpres recensebimus qui saluis verbis orationem nostram in-

interpretati sunt. Putat autem M. AVG. CAMPANI in elegansissimo quem *de magistratibus populi Romani* scripsit libro, plerisque ut aduerri, ignoto, p. 124 verba haec solummodo in explicatione transponenda esse, ita: *sed si euenerit ut minor viginti annis consul sit, quam ipse sit, qui causam manumissionis examinat, ex SCto non potest manumittere.* Sed quod pace tanti Viri dixerim inconcinna satis haec verborum transpositio esset, ut superflua est. Si enim verbum *SCto* retinemus non opus est ut verba aliter ponantur; et deinde etiam Vir egregius in sua transpositione vocem *consilii* omisit, aut per aliam substitutam, alium et ab ipsa mente Vlpiani diuersum elicit sensum.

### §. VII.

*Verba: 1) qui ex SCto 2) CONSILII CAUSSAM examinat optimum habere sensum nullaque emendatione indigere ostendit.*

Hicce autem omnibus mutationibus verborum tuto superedere possumus. Verum quidem est Lege Aelia Sentia prohibitas fuisse manumissiones a minoribus viginti annis faciendas, nisi iusta et apud consilium probata causa adfuerit, attamen in eadem in quantum nobis eiusdem superfunt fragmenta non expresse Consulum mentio facta est, sed indistincte tantum praescribit, ut apud consilium causa probaretur. Vtrum vero ab initio statim Consulibus potestas competit consilium adhibendi merito ambigo, praesertim quum Theophilus oeconomiam huius consilii describens dixit solum: *habetur autem Romae consilium Praetore in suo tribunali sedente* — Hanc igitur Theophilii descriptionem intelligo de forma antiquissima huius consilii adeo ut putrem ab initio solum ex Legis Aeliae Sentiae sanctione hanc consilium habendi potestatem competit Praetoribus, non vero tunc temporis Consulibus, aliis plane rebus occupatis. Postea vero quum Consulum dignitas atque potestas in rebus publicis peragendis admodum diminueretur, SCto quodam, quod ad hanc Legem acceperit, Consulibus quoque potestatem indultam esse consilium habendi, illudque manumittere volentibus praebendi. Constat enim *sententias legum ex Interpretationibus ICrorum ex SCtis ad Leges adiici solitis, et ex Rescriptis Imperatorum ortas*

ortas esse. Optime de hoc SCto id ostendit FRANC. BROEVS p. 64. vbi: atque eadem haec lex (Ael. Sent.) dicitur SCtum in l. 1. n. de off. Conf. Non quod eo tempore - Senatus leges conderet. - Nam hic consilias haec legem esse eodem modo rogatam et latam quo sub rep. libera rogari solebat - sed quod circa eius interpretationem quodam SCtum factum est: pleraque enim interpretandarum legum causa facta sunt. Habemus eorum multa exempla. Ira Lex Falcidia explicata et ampliata est per SCtum Plancianum referente id MODESTINO in l. 59. s. 1. ff. ad L. Falc. ita etiam SCtum Claudianum et Libonianum accessit Legi Corneliae de falso. Neque obstat quod huius SCti auctores tempus et nomen ignorantur. De multis enim SCtis nihil certi definire licet, quae tamen exstisset nemo negabit. Vt vnum tantum proferam exemplum, VLPIANVS in l. 2. s. 2. et 3. de L. Fab. de plag. mentionem facit SCti cuiusdam ad Legem Fabiam postea confessi, cuius vero tempus et nomen nescimus. Quae cum ita sint, neque id nobis mirum videri potest, quod nunc de SCto nunc de Lege loquantur Iuris auctores, immo quod eo progressi sint, vt id quod SCto introductum erat ex Lege venire dicerent. Res ne exemplis careat vnum tantummodo adducam. Imperatt. DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS dum in l. 6. C. ad L. Fab. dicunt: *in fuga seruum constitutum neque vendere neque donare licet;* unde intelligis te in LEGEM incidisse quae super huicmodi delicta certam poenam fisco inferendam statuit, manifesto id Legi quod VLPIANVS l. cit. s. 3. SCto tribuit, quum air: *Hoc autem SCto domini quoque continentur qui fugam seruorum vendiderunt.* Quare etiam nostro in casu bene se habent verba VLPIANI ex SCto. Loquitur enim de SCto quod Legi Aeliae sentiae accessit.

Sed et 2) verba: *confilii causam* habent optimum sensum indeque minime sunt emendenda. Consilii enim causam vel denotare potest causam voluntatis propositi manumittere volentium vt putat IO. GVIL. HOFFMANN Egregium olim Viadrinae decus in Meletematis suis ad Pand. ad Lib. I. diff. II. s. 5. vel causam in consilio tractandam, vt WIELINGIVS in Lett. I. C. p. m. 118 vel etiam vt ego aliquid addam, consilium h. l. significare potest animum defraudandi creditores, quem expresse consilium vocat

lateque de eo differit THEOPHILVS Poraphr. Lip. 1. T. VI.  
 §. 3. Potest igitur triplici hac ratione explicari et consilium et  
 consilii causa, attamen si dicendum quod res est magis placet  
 Wielingii sententia quoniam et de hoc consilio VLPIANVS in  
 pr. h. t. sermonem fecerit et ipsi Legis Aeliae Sentiae sanctioni  
 magis conuenire videtur verbisque ibique scriptis – nisi iusta de  
 causa apud consilium probata.

## §. VIII.

c) De ceteris difficultatibus obmotis loquitur.

Haec erant quae de integritate textus ad illiusque conseruationem dicenda fuerunt: sequitur ut et de ceteris difficultatibus quas Viri docti in hac lege deprehendisse sibi nisi sunt dicamus. Primum enim antinomiam inter ipsum VLPARIUM adesse arbitrati sunt, dum in nostra Spfo consulem viginti annis minorem apud se seruos suos manumittere non posse in l. vero 20. §. 4. *πτερον μανουησις* vind. dixerit: *consilium apud te potest manumittere, etiam si euenerit ut minor annis viginti sit.* Si ope inscriptionis haec duo fragmenta ex Vlpiani Lib. 2. de Off. Conf. desumpta coniungimus atque ad sensum nostrae orationis respicimus non obscure intelligitur, l. 20. cit. in palingenesia praeponendam esse nostrae legi ita ut hac ratione re vera sibi Vlpianus non contradixerit sed id quod in l. 20. §. cit. indistincte in l. nostra cum restrictione adseruit, adeo ut merito haec restrictio si causam apud collegam probauerit, legi 20. addenda sit. Vid. IVL. PACIVM in libro quem inscriptit Euaniophanon. cent. I. quaest. 41. ANT. FABRVM in Iurisprud. Paperiarea p. 272 PETR. DE GREVE in Exercit. ad Pandect. loca difficiliora ad h. t. et LVD. J. CHARONDAE notam ad h. I.

Deinde offenderunt verba nostrae Spf finalia, apud Collegam vero causa probata potest quasi mens VLPANI esset: consilium vix annis minos apud se quidem manumittere nequirit attamen si causam probauerit, apud collegam potest manumittere, et sic repugnaret Vlpianus noster coaevo suo PAVLLO qui in l. 14. *πτερον μανουησις* Apud eum, inquit, cui par est imperium manumittere

—

ff

re non possumus: sed Praetor apud Consulē manumittere potest.  
Iam vero Consules erga se inuicem et pari dignitate et pari imperio gaudebant, adeoque etiam vnuis consul apud alterum manumittere non poterat. Sed salua adhuc res est. Ponas tantummodo virgulam post verbum *probata* et referas *cauſa probata* ad *τὸν apud collegam* tunc leui hac interpu[n]ctione omne diuortium inter Vlpianum et Paullum tollitur.

Tandem neque obstat quod Vlpianus in antecedentibus h. l. verbis dixerit; *sed non potest is qui apud alterum nomina edidit apud alterum manumittere*, in sequentibus autem: *consil minor XX annis apud Collegam cauſa probata*, potest scil. manumittere apud se. Quum enim apud collegam cauſam probare teneretur Consul minor XV. haec vero cauſae probatio nominum editionem ut aiunt inuolueret, videri quoque posset consulem dum apud Collegam nomina edidisset, apud se non amplius manumittere posse, quod tamen antea adseruimus. Sed si quid ego video tractatio et probatio cauſae manumissionis apud Collegam non inuoluebat nominum editionem, neque etiam eum in finem Consul minor XX. annis Collegam adibat, ut auctoritatē suam praebaret ipsi manumissioni ritu per vindictam expedientiae, sed tantum ut consili copiam illi faceret i. e. t. cauſam probare possit. Quod si etiam res se ita haberet atque cauſae probatio nominum editionem inuoluisset, dicendum foret, finalia verba continere exceptionem a regula in anterioribus proposita.

### §. IX.

Mentem VLPIANI secundum ea quae dicta sunt in uniuersum declarat,  
et II. de diale[ct]ica interpretatione quaedam dicit.

Sensus igitur, ut omnia contrahamus, VLPIANI hic est. Consules quoque seruos suos manumittere possunt. Si vero Consil minor viginti annis sit, apud se manumittere non potest scil. sine praeuia cauſae cognitione, quam Lege Aelia Sentia cautum esset ne minor viginti annis, nisi iuftam cauſam apud consilium probauerit, seruos suos manumittere possit, et ex SCro ille ipse sit, qui consilium praebere cauſamque manumissionum a mino-

B 2

ribus

ribus viginti annis facienda examinare debet, ne sibimet  
ipsi ius dicat, Legique Aeliae Sentiae fraus inferatur. Si vero  
Consul minor XX. annis apud collegam caussam probauerit  
apud se manumittere potest. Quod posterius ideo adiicien-  
dum est, quoniam in his verbis finalibus: *apud collegam ve-*  
*ro caussa probata potest σχῆμα* quoddam latet *ἀντόδοτον.*

Quod tandem II. ad *dialecticam interpretationem* adtinet  
de ea h. l. nihil plane dicendum erit, quum neque ex occasio-  
ne neque ex tempore quo lata, neque ex ipsa antiquitatum  
consideratione quidquam desumi possit, ad *sententiam* huius  
orationis declarandam, sed omnia iam per grammaticam clara  
sunt atque aperta. Eatenus enim haec omnia ad dialecticam  
spectare videntur interpretationem, quoad horum ope verus  
orationis sensus erui atque *determinari* potest v. c. ut mens  
orationis aut restringenda aut extendenda sit,

Notari adhuc possunt 1) iustum manumissionis caussam  
propter matrimonium ineundum cuius meminit §. 5. I. quib.  
ex causs. non ex Lege Aelia Sentia venire, quum tunc tem-  
poris nuptiae inter ciues et libertinas adhuc illicitae essent,  
sed potius ex SCto post L. Iuliam ad hac Legem Aeliam  
Sentiam confecto L. 13. D. de manumiss. vind. 2) Disposi-  
tioni Legis Aeliae Sentiae Justinianum quedammodo derogasse  
§. 7. I. quib. ex causs. manum. n. lic. scil. ut is etiam qui septi-  
mum dicimum annum adtigisset feruos siuos in testamento ma-  
numittere possit,

## §. X.

### *Lectionum habendarum indicatio.*

Tandem ad VOS ILLVSTRISSIMI, GENEROSSI-  
MI atque PRAENOBILISSIMI COMMILITONES, Optimae  
Inuentutis flos, atque corona, Parentum et Patriae spes, nostra  
se se dirigit oratio, ad vos inquam, quibus dicatum esse volo,  
quidquid huius scriptiunculae est. vos humanissime inuito ad  
praelectiones meas iterum restaurandas, quibus si interestis ve-  
stro

stroque fauore me non indignum censeris, VESTRIS commo-  
dis vnicet intentum alacriorem et attentiorem reddetis. Non  
est quod multa dicam de ordine arque methodo instituenda,  
quam omnibus iam notam et probatam credo. Contingit  
enim et nostris temporibus vel faepissime, ut bona cauſa ha-  
beat malum defensorem, arque ii qui tam magnifice de se  
fuisse rebus sentiunt atque gloriantur peccent grauiter at-  
que turpiter, quiq[ue] ſemper Cuiacis Noodtios, Contios, Ruf-  
fardos, Alteſerras etc. in ore habere ſolent, ſaepē nil forte  
praeter nomen de illis aur audierunt aut legerunt. Detesta-  
bimur ſemper quidquid fucatae ostentationis notam prae ſe  
ferre poſſit. Quorūm etiam ii pertinent, qui omne punc-  
tum addiſcendae Iurisprudentiae in arbitrio ordine ponunt, ad ipsa  
vero Sacrae Themidos penetralia duce rigorofioris methodi  
non adſcendunt, fed ſemper in eius atrio conficiuntur. Non  
verbis fed re illud adſequi tentabimus, quod in prouerbio  
eft: *praefla te virum.*

Inſtituam vero ſequentes lectiones:

- 1) hor. VIII-VIII. explicabo *Ius naturae* ad ACHEN-  
WALLII *Compendium*, adhibitis quinque illis plagu-  
lis, a Fratre conſcriptis, quae proſtant in Officina  
*Curtiana*.
- 2) hor. VIII-X. diebus *Mercurii* et *Saturni* *Encyclopa-*  
*diam Iuris uniuersi* tradam praeēunte *Illustr. SCHOT-*  
*TIO.*
- 3) hor. X-XI. et II-III. *Pandectarum* doctrinam explicabo  
ad diuctum Ludouiciani compendii.
- 4) hor. XI-XII. *Institutiones Iuris Civilis* docebo ex libro  
*Fratri*, qui prodiit 1764. in officina *Curtiana*.

A) hor.

5) hor. I-II. aut III-V. *Historiam Iuris universi* enarrabo  
ad filium Ill. de SELCHOW libelli, qui inscribitur:  
Geschichte der in Deutschland geltenden fremden und ein-  
heimischen Gesetze.

Si qui etiam sint, qui aut lectiones *Antiquitatum* aut sic  
dictas *Examinatorias* desiderabunt, me quoque habebunt pa-  
ratissimum atque fidum Doctorem. Hisce vero omnibus et  
summa dexteritate, si qua polleo, et ea qua decet diligentia  
nauabo operam, omnnesque intra hoc semestris spatiu[m] ad  
finem perducam. Caeterum valete resque VESTRAS feliciter  
agite. Dab. Hal. die xx. Octobr. MDCCLXXII.



ULB Halle  
002 169 592

3



sb



B.I.G.



1972 13 LII.  
10a

AD  
L. v n. S. v l t. II. d e Off. 10a cons.  
Q V A E D A M C O M M E N T A T U R  
S I M V L Q V E  
L E C T I O N E S S V A S  
P E R  
S E M E S T R E H I B E R N U M H A B E N D A S  
I N D I C I T  
LVDOVIGVS GODOFREDVS MADIHN  
I V R I V M D O C T O R.



HALAE

S T A N N O H E N D E L I A N O .

